8.

DISSERTATIO CHIRURGICA

DE

OSTEOSTEATOMATE,

QUAM

CONSENSU EXPER. FAC. MEDICÆ,

PRÆSIDE

ADOLPHO MURRAY,

M. D. ANAT. ET. CHIR. PROFESS. R. ET O. ACAD. REG. SCIENT. HOLM. SOC. SCIENT. UPSAL. ACAD. BASIL. FLORENT. BOTAN. ET GEORGOPH. UT ET SIENENS. ET BEROL. N. C. MEMBRO.

IN AUDIT. GUSTAV. MAJ. DIE 3 MAJI 1780,

HORIS A. ET P. MERID. SOLITIS,

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICE PROPONET

CAROLUS NORELL,

STIPENDIARIUS STIGLERIANUS,

V. GOTHUS.

UPSALIÆ,

APUD JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

OSTEOSTEATOMATE.

§. 1.

Iuncturas fere omnes compagis oſſeæ & in primis genua multiplici morborum genere facillime corripi, exercitatiſſimosque medicos in dignoſcenda atque dijudicanda horum indole ſæpiſſime præcipites ferri, tam veterum, quam recentiorum triſtis docet experientia.

Rationes ſi anquiramus, cur articuli ad labes contrahendas aliis partibus ſint procliviores, eas ex ipſa juncturarum conſtructione petendas eſſe novimus. Etenim tanta eſt oſſium cylindricorum ad extrema ſua firmitatis diverſitas, ut ea, quæ ad diaphyſin eburneam produnt duritiem, hic ſpongiæ inſtar ex cellulis areolisque oſſeis cruſta duriore tantum obtectis conflata appareant; & ex eadem fere ſubſtantia ſpecu vertebralis corpora & omnia carpi tarſique oſſa conferruminata exſiſtunt; quo vero, licet volumen augeatur, eorum cohæſionis vis & reſiſtentia contra illatas injurias valde infringitur. Obducitur quidem inſuper articulationis ſuperficies cruſta ſingulari cartilaginea; illud vero leve tegumentum ad motum potius faciliorem reddendum, quam ad protegendum articulum, accommodatum eſſe reor. Præterea juncturæ oſſium capſula inerti & laxiſſima, fortioribusque retinaculis, motum quidem dirigentibus, ſed immobilibus & inſenſibilibus, latice tamen ſeroſo & gelatinoſo abundantibus, obvelantur: in cavorum receſſibus & fibrarum intervallis

A glan-

Digitized by Google

glandulæ minutæ, multiformes, humorem tenacem albumini ſimilem, quem ſynoviam appellare mos eſt, ſecernentes, ſunt collocatæ; vaſa vero inter articulorum velamenta oberrantia minuta ſunt & ſerpentinis flexibus dotata; ex qua tota ſtructura inertia quædam peculiaris & lentor exoritur, qui, ſi vitia quædam in ſolidis & fluidis lateant, eaque vim ſuam his in locis exſerere tentent, incremento mali vehementer favet.

Hinc accidit, ut omnis fere humorum labes, ſi vel minima fuerit, oſſibus ipſis intactis, tot tantosque in articulos ſæpe exerceat effectus. Miaſmata varia, ut venereum, ſcrophuloſum, cancroſum & ſcorbuticum, exanthemata, eruptiones cutaneas, febres acutas & intermittentes protractas, dyſenterias, morbos varios chronicos, evacuationes ſangvinis ſuppreſſas, metaſtaſes ſpontaneas, lymphaticorum humorum circa juncturas congeſtiones, cet. fœcundiſſimas morborum circa genu genetrices eſſe novimus. Immo ſaniſſimus alias homo letifero aliquando articulorum corripitur malo, cujus primam originem plane ignorat, & ne ſagaciſſimus quidem detegere valet. A leviore denique læſione externa, vel etjam paullo graviore, merito alias contemnenda, articulos vehementer ſæpenumero adfici mille docent exempla: ſique ſub harum omnium curatione accidit, quod etiam accidiſſe novimus, ut virus quoddam occultum paullatim ſimul quaſi evolvatur, id ipſum nunc ad deſtruendum articulum ſe præbet efficaciſſimum. *a*)

Id autem præcipue noſtram meretur querimoniam, quod morbi genuum perfecte diverſi ad tantam haud raro ejusdem affectus accedant ſimilitudinem, quodque plures ſimul & eodem tempore conjungi ſoleant, ut dexter-

a) Reimari Diſſert. de tumore artic. p. 15.

terrimus obſervator eosdem diſtingvere vix poſſit. Prehenduntur ſcilicet genua fungis, tumoribus arthriticis & rheumaticis, abſceſſibus, nunc clandeſtinis, nunc inflammationes inſequentibus, hydrope, exoſtoſibus, tam veris, quam ſpuriis, anchyloſibus omnis generis, oſſiculis in cavo articuli, partim fluctuantibus, partim adfixis, gangliis aliisve excreſcentiis, modo ſcirrhoſis, modo tunicatis, quin, & oſſa ipſa atque ligamenta a ſingulari materia ſteatomati ſimili inflantur & ita diſſolvuntur, ut ne forma quidem oſſis retineatur. Et licet ſingulorum ejusmodi morborum ſigna characteriſtica in Auctorum ſcriptis tanta cum ſolertia inveniantur enumerata, ut omnia in ſimplici caſu in ipſam rei naturam perfecte quadrare, nec ullus in cognitione mali exſiſtere poſſe erroris metus videatur; in ſtatu tamen complicato, ubi plures cauſſæ una agunt, & diverſi junctim exſiſtunt morbi, a communi cauſſa oriundi, tota ſæpe obnubilatur diagnoſis. Aliam non nulli tumores initio induunt formam, aliam in progreſſu morbi. Sic exoſtoſis vera, quæ ab ortu duritiem tenuit lapideam, jam demum ſæpe molleſcere videtur & perdit ſigna ſibi propria. Sic fungus diffuſus & inveteratus, vel profunde inter intima ligamentorum ſtrata latens, jam cum exoſtoſibus ſpuriis, jam cum veris ſimilitudinem habet, & non numquam cum ſpina ventoſa; ſic, licet ſigna collectionis ſeroſæ in cavo articuli non videantur eſſe ambigua, ſi fungus totum obtegit articulum, minorve adeſt copia liquoris, difficilius hydrops detegitur. Sic accidere quoque adſolet, ut, ſi morbus lente ſubrepſerit, nos, inciſione peracta, loco aquæ pus offendamus verum: Sic denique Oſteoſteatoma, quod ſua natura & conformationis ratione ab omnibus aliis diſcrepat tumoribus, ſi inſignioris eſt voluminis, & profunde jacet, cum fungo eo facilius confunditur, quum ſigna plurima tactu & viſu colligenda utrique eodem jure

competant. Teſtimonium hujus aſſerti hiſtoria morbi infra enarranda præbet luculentiſſimum.

Supervacaneus igitur non foret labor, ſi in ſpecimine hocce Academico has omnes breviter eruere adniterer difficultates. Præſcripſi tamen mihi limites multo arctiores, cum ejusmodi ſpecialis diſquiſitio volumen poſceret integrum. Agam nempe de *Oſteoſteatomate*, quod ad pertractandum caſus meus, quem inter rariores, eam ob rationem, quod genua hoc morbo adfici auctores non obſervarunt, colloco, occaſionem præbuit uberrimam, Lectoris benevolentiam mihi in anteceſſum expetens.

§. 2.

Morbi, quem ſub oſteoſteatomatis titulo comprehendimus, hæc denominatio in chirurgicis libris minus adhuc uſu eſt recepta, unde mirari non licet, quod Auctores eam vel ſilentio prætereant, vel etjam ſub hoc nomine diverſos deſcribant morbos. Non nulli enim ex. gr. exoſtoſes ſpurias, ex oſſis interiore ſubſtantia non progerminantes, per hanc vocem intelligunt; alii vero exoſtoſium verarum eam ſic vocant ſpeciem, quæ duriore cruſta obtegitur & intus molli repletur pulpa. Ego vero eum tumorem *Oſteoſteatoma* appello, qui ſua indole inter exoſtoſin ſpuriam & ſteatoma medium quoddam conſtituit, cujus maxima moles ex materia ſteatomati ſimili conflatur, quique in ſubſtantia ſua varias majores minoresve laminas oſſeas, glebas cartilagineas, fibrasque ligamentoſas habet immixtas. Tenuis quidem membrana cellularis exterius tumorem obvolvit, ea vero alte interius demergitur & innumeras areolas cryptasque format, tenaci, ſpiſſa & opaca materia repletas. Tumor ab ipſo primordio duritiem prodit renitentem, quæ tamen oſſeis illis ſquamis inſperſis valde increſcit.

Con-

Digitized by Google

Contendit quidem cl. Herrman oſteoſteatomata præcipue circa ea oſſa formari, quæ ligamentis cartilagineis & ſpongioſis, ſucco abunde ebriis, connectuntur, qualia inter corpora vertebrarum, oſſa ilei & os ſacrum & in ſynchondroſi pubis ſunt obſervanda. Iis enim diductis vel quomodocumque dilaceratis, humor effunditur, cito citius concreſcens. Exempla etjam, quæ doctiſſimus Auctor ad confirmandam ſuam ſententiam adfert, tam præclara quidem ſunt, & rem noſtram adeo attingunt, ut temperare mihi non poſſim, quin ea infra breviter deſcribam: ſed in aliis etjam locis generari poſſe oſteoſteatomata, accuratior docet experientia. Decubitu ſcilicet humorum in textu cellulari perioſtei, in oſſium fractorum contuſorumque interſtitiis, inque ligamentorum compage interiore hoc tumorum genus excreſcere poteſt, quod demum nec ligamentis, nec oſſis ipſi ſubſtantiæ parcit.

Requiritur vero ad ejus generationem, ut non ſolum ſimplex quidam affluxus ſucci ad loca exſiſtat illa, ubi cellulosa abundat; verum etjam ut irritatione lenta cellularis tela, quæ regenerandi indolem unice poſſidet, evolvatur & mole augeatur, utque nova hæc maſſa abunde nutrita humorem craſſiorem in areolarum cryptis deponat, id quod amplitudine numeroque vaſorum valde aucto facillime ſuppeditatur. Sic e. g. perioſteum ſi turget & ſucco gelatinoſo repletur, nova cito incrementa capit, ſpongiæ inſtar inflatur, & in tubercula compacta fibris nitentibus tendineis intermixta excreſcit. Si vero tumor in iis locis, quæ ligamentis obvelantur, primas agit radices, ea ipſa partim in celluloſum textum lente iterum ſolvuntur, partim corruſcantes fibras in ipſa tumoris mole diſperſas, retinent. Veroſimile igitur videtur, ligamenta illa ſuccoſiora, non quatenus ſunt li-

gamo-

Digitized by Google

gamenta, ſed quatenus ex celluloſa tela confecta, originem huic tumorum generi præbere, omnemque telam celluloſam, ſi vel cellulas formet, vel in membranam ſit extenſa, vel etiam ligamentorum indolem adquiſiverit, ad talem commutationis ſpeciem quam maxime eſſe idoneam. Oſſiculorum vero ſquamæ & cartilaginoſæ glebæ in tumoris carne latentes eo facilius generantur, quum vaſa nutrientia ſangvinem rubrum vehant, isque ſuccum ſuum, hic in coagulum vel cartilaginem abiturum, inde vero fluiditatem conſervaturum, lente deponat, & præterea brevi temporis interceſſu, ſi tumor, ut fit communiter, ad ſuperficiem oſſium & ad ligamenta adhæret, eo os ipſum ſubjacens ſolvatur.

§. 3.

Tumoris vero ſingularem vim oſſa ſubjacentia ſolvendi & emolliendi ſi attentius rimamur, ſummam ea noſtram excitabit admirationem. Nam liquor in tumore nidulans ſæpius ne minima quidem indicia acredinis, nec ullam vim corrodendi prodit. Eſt potius blandiſſimus, glutinoſus & inodorus, adeoque ad cariem concitandam plane ineptus. Valde etiam differt hæc oſſium deſtructio ab illa, quæ a carie oſſium vulgari producitur. In ea enim tam terra, quam gluten, tota nempe oſſium compages exeſione lenta corroditur, ſimulque ichor in vicinia collectus, acerrimi menſtrui inſtar, quidquid obvenerit, exedit atque deſtruit, unde dolores pædarthrocaces derivandi. In lenta vero illa ſolutione oſſium, quæ oſteoſteatomati adſociari ſolet, clam & ſine ullis cariem denunciantibus ſignis oſſa molleſcunt, eodem fere modo ac in morbo illo ſingulari, quo vel omnia oſſa, vel nonnulla ſpeciatim eum in modum emolliuntur, ut cultro ſcindi & undique, ceræ inſtar, flecti poſſint. Abſorbetur

ſci-

Digitized by Google

ſcilicet terra oſſium, & gluten, formam oſſium utcumque non numquam conſervans, intactum relinquitur.

Si vero jam quæritur, quid cauſſæ ſit hujus in oſteoſteatomate terræ oſſium abſorptionis, plures una agere valde probabile videtur. Steatomata in celluloſa tela ſedem ponere videmus. Quando igitur perioſteum tumore hoc corripitur vaſisque antea vix viſis repletur uberrimis, ſuccum abunde adfundentibus, ea vaſcula, quæ cum ipſo oſſe ſubjacente cohaerent, non poſſunt non ſimul dilatari, & pabulum oſſi, uti tumori, præbere copioſiſſimum, quo oſſeæ fibræ diſtenduntur, a mutuo contactu ſeparantur & undique humoribus irrorantur; ea vero, quæ antea liquidum tenuius oſſium abſtulerunt, ipſam oſſium terram avehere & ad alia loca propellere. Tumoris continua compreſſione etjam oſſis compagem aliqua ratione lædi, ejusque nutritionem adeo perturbari poſſe, ut lamellæ oſſeæ ſolvantur & in molles poroſasque excreſcentias abeant, nemo dubitabit, qui ex aliis noverit exemplis, continua preſſione anevriſmatis aortæ coſtas non luxatas ſolum, verum etjam fractas fuiſſe. Ad has vero allatas cauſſas alia non minus efficax, licet ab effectu unice ejus præſentiam agnoſcamus, adjicienda erit; acredo nempe ſubtilior humorum. Cujusnam naturæ ſit, quaque ratione agat, ſæpe ignoratur. Id vero experientia docuit, eos, quorum oſſa mollia facta & carnea, quique ſteatomatibus fuerunt vexati, *b*) oberrantibus prius doloribus rheumaticis vexatos fuiſſe & terram osſium cum urina copioſiſſime dejeciſſe. Sic etjam dubitari non poteſt, quin ii, qui eryſipelate habituali laborant, ſub cachectica humorum diſpoſitione, acredinem quamdam occultam in venis ſuis alant; eam vero oſſa ipſa aggredi, ſi vel alia exempla defuerint, caſus infra deſcribendus, prodere videtur.

§. 4.

b) Theden Neue Bemerk. und Erfahr. 130.

§. 4.

Diagnoſis hujus tumoris valde dubia eſt, licet merito eum ad genus tunicatorum adque eam ſpeciem referamus, quæ in contextu celluloſo materiam deponit, pro re nata diverſam, quamquam profundius oritur. Quum prima ejus ſtamina in ipſo perioſteo vel in intimis ligamentorum ſtratis exoriri videantur; difficile erit, ſi nulla præceſſerit violentia externa, indicare, ubinam & an certe tumor quidam in occulto formari incipiat. Solet tamen locus, in quo humor ſub perioſteo & inter ejus laminas ſtagnat & effuſus exſiſtit, tumere, & tenſione pro ſitu ad nervos plus minusve, initio tamen ſemper obſcure dolorifica, indicia orientis præbere mali leviora, quæ, aucto in dies humorum flumine, una cum ſæviſſimorum dolorum cruciatibus certiora evadunt. Etſi enim perioſteum ipſum & ligamenta nullo gaudeant ſenſu, nervi tamen ſupra illa variis in locis exſpatiantes non posſunt non diſtenſione membranarum violenta irritari atque laceſſi. Obſervare vero contigit, dolorem, dum tumor lentius increvit, omnesque a motu oriundæ irritationes evitatæ fuerunt, multo fuiſſe mitiorem; rodentem vero & lancinantem, ſi velociori paſſu adauctus tumor, & humores acredine quadam correpti fuerint. Dolor tamen communiter, antequam tumor ipſe apparet, partem adgreditur & ad vicina loca extenditur, ſi acrimonia quædam ſpecialis, ſine ulla adhuc effuſione humorum, ad certum locum affixa, nervos ſenſiles vehementer irritat atque torquet. Cum vero demum in telæ cellulas latex effunditur, tumor apparebit, dolorque augmenta capiet majora, usque dum nervi ad continua hæc adſvefacti irritamenta quaſi torpeant, & tumor ipſe compreſſione ſua continua maximum abſtulerit ſenſationis gradum. Decrementum illud doloris & ſenſationis aliquando adeo magnum eſt, ut ſi lateret ſanies, illa ipſa oſſa & partes vici-

Digitized by Google

vicinas, ſine ullo doloris incremento, vel ſub ejus etjam imminutione, viſa ſit deſtruere: immo obſervatos habemus ægros febre lenta atque totius corporis conſumtione exſtinctos, licet nulla prius inflammationis detecta fuerint ſigna.

Exoritur itaque effuſione ſucci, nunc citius, nunc tardius, tumor, quo perioſteum vel ligamenti ſtrata ſuperjacentia tenduntur & eum in modum irritantur, ut lente molleſcant, mole augeantur & inſitam ſuam naturam commutent. Simul vero omnes eas partes, quæ oſſa prius circumvelarunt, muſculos ſcilicet, arterias atque nervos ante ſe propellit tumor excreſcens, ut in ejus ſuperficie locum inveniant.

§. 5.

Tumor autem, quo demum loco ſedem ſuam poſuerit, ad ſuperficiem cutis elevatus ab exoſtoſi difficillime diſtingvitur & fungi ſigna mutuare videtur, ſi in vicinia articulorum exoritur. Latent enim vera ſigna pathognomica unumquemque morbum diſtingventia, & violentia externa humorûmque vitia jam hunc, jam vero alium gignunt morbum, initio iisdem præmunitum characteribus; atque etjam accidere non numquam ſolet, ut articuli læſi, diſcuſſo tumore metum injiciente, iterum convaleſcant, & morbus dein ingruens non a prægresſa læſione, ſed ab alio vitio ſuos derivet natales.

Ad confirmandam hanc meam ſententiam e re erit, eas *fungi* genu breviter enumerare proprietates, quæ oſteoſteatomati perfecte etjam competunt. Sunt ſcilicet ambo tumores chronici, decolores, calorem corporis retinentes & digito prementi cum reſiliendi vi cedentes. Fungi inæqualiter turgeſcere & unice articulorum externæ

ſuperficiei inſidere ſolent, quem tamen locum aliquando etjam oſteoſteatomata occupant. Vis elaſtica in utroque variis ſubjicitur mutationibus. Quo enim antiquior eſt morbus minorque liquidi inter auctas fibras ſtagnantis copia, eo firmior tumor ſentitur; ſi vero in oſteoſteatomate oſſiculorum & cartilaginum moles valde augetur, durities ejusdem fungum ſuperabit. Ægrotans in primordio morbi, quisquis horum fuerit, ſingularem articuli hebetudinem cum rigore junctam ſentit &, mobilitate membri ſenſim imminuta, crus inflexum rigidum evadit, in quo ſtatu ſimul tumor apparet, qui, ingraveſcente malo, ſua mole patellam e ſitu ſuo deflectit poplitisque cutem ita paullatim tendit, ut flexorum tendines eo quaſi conſtringi videantur & cavum ipſum evaneſcat. Glandulæ adjacentes, ut & remotiores, tum demum quoque turgent & membrum infra articulum marceſcit, quum a tumoris volumine tam vaſa quam nervi vehementer premantur. Dolores e fungo nati iisdem ſubjecti ſunt viciſſitudinibus, quas de oſteoſteatomate ſupra adnotavimus. Sic etjam cæli alternationes, pluviæ, diu furens aquilo, intenſum frigus, ſtragulorum calor doloris vehementiam in oſteoſteatomate, ut in fungo, adaugere ſolent.

Si vero ad commutationes, quibus temporis tractu longiore tumores hi ſubjiciuntur, attentionem noſtram vertimus, fungi etſi diu corruptelæ reſiſtant, citius quam oſteoſteatomata malignam induere indolem videntur. Tantam enim fluidum fungi fibras opplens acredinem ſolet acquirere, ut non ſolum tumorem tenaciſſimum quaſi ſolvat muſculosque in tabum commutet, verum etjam cuniculos horſum vorſum decurrentes agat & denique vaſa, cartilagines atque oſſa corrodat. Exeditur etjam demum ſub doloris incremento cutis, pus peſſimæ notæ, inflammatione lenta oborta, jugiter effunditur fungique mino-

minores atque molliores undique excreſcunt, quo denique fit, ut pedetentim, pure abſorpto, febris exoriatur vitalem flammam exſtingvens. Hanc fatalem noſter tumor quoque ſubire poteſt ſortem, ſed multo tardius, cum ipſa materia tumoris ad inflammationes concitandas minus proclivis eſſe videatur.

§ 6.

Sed *Exoſtoſium* nonnullæ ſpecies cum molleſcunt, oſteoſteatomatum ſimilitudinem induunt. Non loquor quidem de iis, quæ ex intimo oſſis cavo progerminant & totum cylindrum expandunt; neque de iis, quæ in media oſſis ſubſtantia nidulantur; ſed de ſuperficialibus exoſtoſibus, quæ ex extimis ſtratis oſſium propullulant, eaque de ſpecie, quam ſpuriam appellare mos eſt, & quæ, coacto peregrino humore, inter perioſteum atque ſuperficiem oſſis ſedes ſuas poſuit. Solent enim illæ oſſe ipſo duriores eſſe, ſuccinctis limitibus circumſcribi & numquam fere molleſcere; hæ vero extrema oſſium vel articulos præcipue afficientes, ſi malignæ ſunt, virusque cancroſum vel ſcorbuticum pro cauſſa agnoſcunt, tantam acquirere mollitiem, ut oſteoſarcoſeos mereantur nomen. Nonnullæ ſunt ſubmolles, prementi digito cedunt, ſæpe dolent & interdum lancinant. Aliæ oſſi plane non adhærent, & preſſione alterna aliquantum moventur. Aliæ cruſta tantum oſſea obteguntur, intus vero vel ſpongioſæ vel carneæ ſunt. Aliæ molliores extra & duriores intus deprehenduntur. Ejusmodi vero exoſtoſes baſi inſtructas lata, cum ad pugni magnitudinem excreſcere ſolent, cum dolent & præcipue prope articulos magis magisque emolliuntur, facile ſane cum oſteoſteatomatibus confundere poſſumus. Sunt tamen quædam ſigna, quæ nos contra errorem talem præmunire poſſint.

 Ex

Ex prægreſſorum ſcilicet exacta cognitione lux nobis in diagnoſi affulget. Si enim tumor a miaſmate quodam exortus exoſtoſeos duritiem diu retinuit; jam vero inæqualiter emollitur, aſperis elevationibus in ſuperficie exuberat, dolorem fixum, acutiſſimum & circumſcriptum ante emollitionem diu ægrum excruciantem edit, vehementer inflammatur & ſuppurationem gignit cito cutem corrodentem; ab oſteoſteatomate tam valde tumor differt, ut vix ac ne vix quidem cum eo confundi poſſit. Exoſtoſes ſuppurantes purulenta ſcatent materia cito oſſium ſubſtantiam & quidquid obvenerit corrodente. Oſteoſteatoma vero ſi cuti appropinquat, prementi digito cum renitentia quadam cedit, nec ullas aſperitates, licet oſſiculis immixtum, in ſuperficie ſua prodit. Tarde cutis corrumpitur, ſolutiones ichoroſæ ſero ingruunt & dolor, cum augetur malum, potius imminuitur, quam creſcit. Præterea tumor hic in omnem partem augetur, nec ullis limitibus, ut exoſtoſes atque fungus ligamenta non excedens, circumſcribitur, ita ut non ſolum articulum, verum etjam totum os ſua maſſa comprehendat. Obſervatum quoque habemus, fungos atque exoſtoſes a cauſſa magis efficaci atque adeo facilius detegenda originem duxiſſe; oſteoſteatomata vero clam & ſæpe ſine cauſſa manifeſta ſua jeciſſe ſtamina. Si igitur in morbi primis initiis de ejus vera indole ambigui hæreamus, non difficilis tamen erit labor, curſu ejus accuratius penſitato, ex allatis ſignis omnibus ejus veram exſiſtentiam dignoſcere.

§. 7.

Nomen ipſum, quod morbo impoſuimus, jam declarat, eum cum *Steatomate* ſimplici varia habere communia, in quibus vero momentis ab illo differat, paucis oſtendere liceat. Primam ergo diſcrepantiam tactus prodit;

Digitized by Google

dit; nam ſi vel concedamus, duritiem ac renitentiam noſtri tumoris variis expoſitam eſſe gradibus, prout nempe major minorve copia fruſtulorum oſſeorum aut cartilagineorum in ſteatomatibus deficientium adeſt, celluloſa tela denſioris vel mollioris eſt compagis, atque denique coagulum ipſum plus minusve ſpiſſeſcit; & ſteatomata porro ex ultimis duabus allatis cauſſis non minorem ſæpe pati texturæ commutationem: negari tamen nequit, quæcumque ſteatomatum fuerit durities, oſteoſteatomata iis ſemper antecellere. Altera differentia conſiſtit in loco, ex quo oriuntur. Lipomata ſcilicet & ſteatomata communi fortiore capſa, ut noſter tumor, deſtituta, in cellulosa ſubcutanea, in membrana fibrarum muſcularium interſtitia replente & vaſa, nervos atque viſcera vel extra vel intus circumvolvente, formantur; ubinam vero oſteoſteatoma excreſcere ſoleat, ex ſupra dictis abunde patet.

Liquidior vero maſſa in tumore ſtagnans nullam veram differentiam inter haſce binas ſpecies conſtituit; nam nunc meliceridis fluiditatem, nunc vero ſpiſſi lardi tenacitatem prodit; non quod in majore cavo cyſta circumvoluto, latex colligatur, ut fit in meliceride & atheromate; ſed is, qui cellulas difformes undique diſperſas opplet, jam tenuior, jam craſſior reperitur. Maſſa ipſa vel fluidum expreſſum ſcrutinio chemico ſubmiſſum animalis olei nihil dedit, ſed ex vera lympha coagulabili unice componi, cel. du Fouart experimenta teſtantur.

§. 8.

Arcto demum vinculo conjungi videntur oſteoſteatomata cum ea *concretione oſſeo-cartilaginea*, quam nonnulli obſervatorum *in cavo uteri nidulantem* & ad ingentem molem increſcentem viderunt. Tractatum ill. Louis de concretionibus calculoſis uteri *c*) aliorumque, præcipue

c) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. 2. p. 130.

cipue MORGAGNI, ſcripta ſi perlegimus, magna non ſolum obſervationum tam antiquiorum quam recentiorum copia convincimur, concretiones calculoſas & tophaceas in utero generari totumque uterum oſſea cruſta obduci poſſe, quin etjam ex ſuperficie uteri interna tumores propullulare oſſicula in ſe continentes. Hæc ultima ſpecies a ceteris, ut cel. DUNCAN *d*) optime monuit, toto, ut ajunt, cælo diſcrepat, inque eo oſteoſteatomati convenit, quod ex fruſtulis cartilagineis & oſſiculis indiſcriminatim diſpoſitis, arctioribus autem filis & membranis cellularibus connexis, ſit conflata, quodque cellularis telæ ſobolem, uteri nempe membranam internam, pro baſi agnoſcat. Steatomatoſa vero illa & gelatinoſa materies, qua concretiones duriores circumvelantur, hic plane deeſt, ita ut tumor ad polypos concretionibus oſſeis & cartilagineis refertos potius, quam ad oſteoſteatomata, ſit referendus.

Exempla ejusmodi polyporum oſſeo-cartilaginoſorum in tractatu ſupra dicto videmus collecta; cum vero cel. Præſidi meo nuper in dulciſſima pariter ac fructuoſiſſima conſortione cum Illuſtri Apollinaris ſcientiæ Muſageta D. OL. ACREL talem inſignioris magnitudinis tumorem licuerit examinare, tota ſimul præeuntis morbi hiſtoria, quam D. HEDIN, Medicus Aulicus clariſſimus, ad lectum ægræ eleganter conſcripſerat, benigne communicata, ſpem foveo, parvam, ſed utilem in enarrando caſu a ſcopo noſtro primario digreſſionem benevolo lectori non eſſe diſplicituram.

Matrona ex illuſtriſſima ſtirpe oriunda, 60 circiter annorum, quæ prole caruerat, licet ad legitimum fere terminum ullam vix paſſa fuiſſet menſtruorum morboſam interceptionem; immo etjam ad 57 annum, poſt breve inter-

d) Path. Libr. 2. cap. 14.

intervallum, novo iterum, ſingulis menſibus, ſub vehementioribus renum doloribus, revertente fluxu ſangvineo aggravata eſſet, præmatura admodum arthritide vaga & adſultibus podagricis detenta fuit, cum imminuta horum malorum vehementia renes eodem morbo ſpeciatim vexari viderentur, & calculi in renibus generati oboriretur ſuſpicio. Plura enim minora calculorum fruſtula cum urina uberrimum ſedimentum & mucum deponente ejiciebantur, & dolor gravativus in renum regione ægram excruciabat. Interdum etjam mingendi difficultate ſpaſmos in toto corpore varios excitante premebatur & ſegnitie alvi remediis vix levanda. Medicamina vero, quæ ad calculoſam humorum diſpoſitionem tollendam ſagaciſſimus ACREL adhibuit, felicem, quem vix ſperaſſes, effectum præſtiterunt, ut prædicta mala penitus ſopirentur, & ægræ per 14 annorum ſeriem, ſi leviores arthritidis ad pedes, manus atque pectus obambulantes acceſſus exceperis, inconcuſſa frui licuerit valetudine. Sub finem tamdem Anni 1777 dolorum arthriticorum novos adſultus hic illic circumvagantes, jam ventriculum atque inteſtina, jam thoracem vel artus adficientes perſentiebat, quos ſingularis excepit nervorum debilitas multiplici ſpaſmorum atrociam ſymptomatum valde adaugentium ſyndrome ſtipata. Aſthmate præcipue Anni 1778 menſe April. adeo vehementi laboravit ægra ill. ut cum clangore, & in ſitu erecto vel ad anteriora inclinato, ſpiritum ducere cogeretur. Pulſus frequens intermiſſio, œdema artus inferiores corripiens & anxietas cum agrypnia in dies aucta ſuſpicionem quidem hydropis pectoris injiciebant; cum vero nulla fluctuatio obſervari poſſet, & vehementiora varia phænomena a ſpaſmis nervorum per materiam arthriticam irritatorum orta eſſe, veroſimile videretur; cura eum in modum directa fuit, ut complicationi huic obviam iretur. Laxantia

Digitized by Google

tia etjam, incidentia & diuretica, quæ tamen caute ob nimiam ventriculi ſenſibilitatem remedia fortiora reſpuentis propinari debebant, conjunctis anodynis & antihyſtericis remediis, lenimen præſtiterunt inſigne, præcipue cum poſt levem exortam febrem aphthis comitatam corticem deglutiret. Aſthmate igitur imminuto, ægra vires paullatim adeo auctas ſenſit, ut breve iter ſuſcipere potuerit. Et ſi anhelitus interdum convulſivus variæque aliæ ſpaſmodicæ affectiones, quas vero hic enumerare non lubet, iterum ingruerent, hæ antiſpaſmodicorum uſu tam feliciter aliquando compeſcebantur, ut plurium ſeptimanarum ſpatio ab incommodis ſe liberatam ſentiret. Septembri vero menſe ſub laſſitudine ſingulari atque continua & rigore artuum inceſſum impediente, nulla vero in urinæ dejectione remora, crura atque femora œdematoſo inflabantur tumore, præſtantiſſimis hydragogis non vincendo & adeo pedetentim increſcente, ut latex in infimi ventris celluloſa ſubcutanea undique diffuſus appareret. Ærumnis his adjungebatur omnium functionum naturalium & vitalium hebetudo, digeſtionis & alvi ſegnities, & morbus totius corporis leni inflatione aquoſa, hancque inſequentibus ſymptomatibus, anhelitu, anxietate, febreque cum dilirio & ſopore, mortem e longinquo minabatur, quam diu tranquilla expectaverat & adventantem læta oppetebat.

Aperti thoracis cavitates 8 libræ laticis replebant, & aqua pericardii ſaccum diſtenderat. In abdomine præter omnem opinionem viſcera, quæ in morbis hydropicis & lentis communiter ſcirrhoſa, tumida atque infarcta inveniri ſolent, omnia in ſtatu erant optimo, ita ut nec hepar nec ſplen nec meſenterium ullum ex morbo contraxiſſe damnum viderentur. Renes etjam ſani erant & a calculis, quantum perſpici potuit, illæſi. Ex pelvi autem

Digitized by Google

tem inferiori tumor ingens elevari viſus eſt, cujus faſtigium medium ſpatium inter umbilicum & os pubis tenebat, margines autem laterales limbo pelvis incumbebant. Uterum vero ipſum ad hocce volumen fuiſſe expanſum facile apparebat, cumque is caute aperiretur, ubique in ſcirrhoſam commutatus maſſam, & in nonnullis locis ad duorum digitorum craſſitiem evolutus videbatur. Ex fundo ejus globus tactu oſſeus ad magnitudinem capitis recens nati infantis excreverat. Erat autem hic membrana uteri interna undique obtectus, & latiori baſi, non vero pedunculo arctiori utero affixus. Is vero ſumma cum circumſpectione a viſcere ſuo ſeparabatur, cui non ſolum filis cellularibus, verum etiam vaſis pluribus nutrimentum ſuppeditantibus adhærebat. Tumor examini ſubjectus denſa celluloſa copioſiſſime involutus deprehendebatur, ea vero diſciſſa & deraſa, totam molem ex glebis fruſtuliſque diverſæ magnitudinis & figuræ, tum piſi, tum apicum digitorum, hic ſphæricis, illic polygonis; omnibus vero inter ſe optime denſiſſimæ cellulofæ ope coadunatis, compoſitam eſſe, mirabundi videbant examinatores. In nonnullis locis fruſtula plane cartilaginea erant; in aliis nucleo oſſeo dotata, inque aliis jam plane oſſea. Serra opus erat ad interiora rimanda, quæ ex eadem ſubſtantia erant formata fortius tantum inter ſe cohærentia, nulla cartilagine intermixta. Succus vero glutinoſus limpidus cellulas oſſeas confertiſſimas opplebat.

Meta mihi præſcripta multas ex hac ſingulari obſervatione practicas animadverſiones deducere vetat; nonnullas vero adferri rarior hic caſus jubet. Mirabitur ſane quisque, maſſam tantæ molis & duritiei in utero latitantem nulla ſuæ generationis vel exſiſtentiæ ſigna prodidiſſe, ægramque de pondere ejus, quod libram ſuperabat, nullum incommodum ſub morbi curriculo ſen-

C ſiſ-

Digitized by Google

ſiſſe. Cauſſa vero hujus ſingularis phænomeni, quod Cl. CHARRON *e*) etjam obſervavit, facile enodabitur; ſi e-nim uterus ſcirrhoſus exſtiterit, ſi ejus ſenſibilitas imminuta vel ablata fuerit, molesque ad eum usque modum increverit, ut a limbo pelvis uterus quaſi ſuſpendatur: ſigna tumoris propria plane deſunt. Et ſi vel plures ſimul exſiſterent morbi, multitudine ſymptomatum, hujus ſigna primaria cum ceteris facillime confunderentur.

Poſt ceſſationem menſium primam tumor primum ortum duxiſſe videtur; vix enim fieri poteſt, ut in utero heterogeneum quoddam hæreat, nec ſimul fluxus menſtruus quomodocumque perturbetur; cum vero revertentium menſtruorum fluxus doloribus nixum parturientium ſimulantibus conjunctus eſſet, vereor, ne eo jam tempore tumor prima ſtamina jecerit. Adſcriberem etiam materiæ, quæ antea arthritidis & calculi ſymptomata excitaverat, hujus quoque tumoris exordium. Materia ſcilicet, quæ arthritidem, nodos & tophos articulorum generat, cum humoribus noſtris quandoque ita conjuncta eſſe videtur, ut per plures annos in circulum ducta nusquam deponatur, nulla gignat incommoda. Defertur tamen ſæpe ad diſſitiſſima loca, cum nimis abundat aut aliena quædam cauſſa depoſitioni favet; Nec tamen ibi ſemper perſiſtit, verum iterum ab eo loco in maſſam ſangvineam reverti poteſt & ad alia aptiora loca propelli ſæpe concretiones novas a prioribus diverſiſſimas formatura. Unde mirandum non eſt, quod ægra illuſtriſſima jam podagra & chiragra, jam calculis renalibus, jam aſthmate convulſivo pedetentim hydropem inducente pectoris, colicis doloribus, vomitu atque lumbagine laboraverit, quodque demum materia ad uterum ſangvine exube-

e) Mem. de Chir. T. 2. p. 141.

Digitized by Google

uberantem & laxum migraverit. Id vero primo intuitu explicatu difficillimum videtur, undenam anaſarca hæc ſub initio partialis & omnium fere functionum naturalium læſio producta fuerit, cum omnia viſcera præter uterum ſarta tectaque invenirentur; cujus tamen rei cauſſam a compreſſione uteri continua contra vaſa iliaca derivare liceat. Præpedito liberiore ab extremitatibus inferioribus ſangvinis refluxu, oedemate pedes atque crura cito corripi, neceſſum erat, & eodem gradu, quo moles tumoris augebatur, tumor aqueus adſcendere coactus fuit, usque dum tota maſſa ſangvinea latice aquoſo ita inquinaretur & longiore morbo omnia ſolida ita debilitarentur, ut tota machina ab eodem morbo deleterio deſtrueretur. Sed e diverticulo in viam.

§. 9.

Ea, quæ jam circa oſteoſteatomatum naturam in medium attuli, morbo, quem omni diligentia examinavi, perfecte conveniunt. E re igitur erit hiſtoriam ejus accuratius deſcribere, cui ſimiles alios caſus, quos ex parva mea librorum ſupellectile colligere licuit & ad ſupra propoſitas animadverſiones confirmandas neceſſairos duco, ſubnectam.

Hiſtoria morbi.

Nobilis matrona, pluribus puerperiis inſignis, exili atque macello habitu, cute pallida, tenera atque laxa, ad ſexageſimum vitæ ſuæ curis atque viciſſitudinibus gravatæ annum, inconcuſſa fere utebatur valetudine, animique conſtantia atque hilaritate ſingulari. Eo vero ætatis anno, qui a Chr. n. erat 1777, morbi atrociſſimi primæ inſidiæ, nullo alio prodromo, quam oculorum quadam lippitudine, qua circa medium decennium hujus ſæculi quintum laborare coeperat, tarſique lenta exulceratione ery-

ryſipelacea, leni quodam doloris ſenſu in genu ſiniſtri confiniis eam aggrediebantur. Senſim autem increſcebat dolor cum tanta articuli hebetudine conjunctus, ut ſine majore incommodo vix hoc membro inniti poſſet.

Cauſſam hujus mali a permodica quadam diſtortione articuli, quam lectum forſan petens contraxerat, derivandam eſſe putabat, cum ob lecti majorem altitudinem in eum adſcendens ſiniſtro pede inniteretur inque eam partem totum corporis pondus ſubito conjiceret. Sprevit vero leviores has moleſtias ſollicitudinibus & incommodis majoribus jam diu adſvefacta. Quum vero pedetentim dolores hi lancinantibus ictibus periodice immixti ſub quocumque motu & præcipue inceſſu atque extenſione cruris exacerbarentur, & menſe Martio anni inſequentis ſine baculi fulcimento in cubiculo circumire vix ac ne vix quidem valeret, opem Celeb. D. Profeſſ. Ziervogel fideliſſimam ſibi expetiit. Hic nullum in genu ſiniſtro aliud vitium invenire poterat, quam condyli interni quamdam protuberantiam. Hæc tamen nullis videbatur eſſe circumſcripta limitibus & tam levis, ut ſine comparatione cum altero genu obſervari non potuiſſet. De cetero, nec rubedo cutis, nec calor ullus tumoris aderat, & compreſſione condyli æquali dolor neutiquam augebatur.

Ex allatis jam ſignis morbi naturam perfecte enodare & utrum materia arthritica, an rheumatica mali fuerit cauſſa, determinare difficile admodum fuit. Cum vero arthritidis characteres eſſentiales deficerent, & ægrotæ nimis vitæ ſedentariæ indulgentis ante acta diætæ ratio, quæ ob rei familiaris tenuitatem minus commoda fuerat, Medicum non fugeret; corrigendis humoribus acredine forſan rheumatica correptis omnem impendebat ope-

Digitized by Google

operam. Præſcripſit decocta mundificantia & diluentia quotidie potanda & laxans mercuriale, quod ſemel ſub ſeptimanæ curriculo ſumeret. Externe linimento ſaponaceo tertia parte ſalis ammoniaci admixta bis per diem inungebatur pars adfecta, pelle agnina dein admota. Remedia vero hæc menſis ſpatio ſine intermiſſione ſumta neque dolores in dies ingraveſcentes neque difficilem artus motum liniebant; veſicatorio autem amplo, a Cel. Akenside *f*) valde commendato, infra genu cruri applicato, ſtatim levamen ſenſit ſat conſpicuum ægra. Optimo ergo conſilio Cel. Ziervogel ejus conſolidationem impedire & irritatione leni adſperſo pulvere cantharidum fluxum ejuſdem adaugere ſtuduit. Effectum autem adſperſio illa prima ſtatim vice præſtitit inopinatum, nam, nulla præeunte febre, eryſipelate pes, crus, genu, immo infima tertia pars femoris corripiebantur. Ulcuſculum igitur a veſicatorio excitatum conſolidare & ſambucinis interne & externe uſitatis atque laxantibus antiphlogiſticis vim hujus morbi infringere conſultius ducebatur, id quod cito etiam ſucceſſit. Jam vero condyli interni ſiniſtri protuberantia multo latior & valde aucta conſpiciebatur. Ab uſitatis igitur remediis deſiſtebat medicus & loco eorum antiſcorbutica efficaciſſima & aquas Selteranas ſub æſtivis menſibus adhiberi juſſit; ſed neque hæc ſtatum reddebant benigniorem. Tumoris enim volumen in dies auctum ſub patella ad alterum condylum lente proſerpere videbatur mollitiem quamdam æqualem & renitentem induens. Poples turgidus & genu incurvatum erat. Varia jam reſolventia & emollientia epithemata, interque alia emplaſtrum ex ammoniaco cum aſſa foetida & tinctura foetida alternatim, ſed fruſtra, applicabantur. Nam omnis articuli mo-

f) Medical Tranſact. Vol. I.

motus ceſſaverat, dolor, qui ad vices aëris & noctu violentiſſimus erat, jugiter excruciabat ægram, & demum ob ingentem tumorem, nec patella, nec cöndyli ullo modo diſtingvi poterant. Tumor cuti concolor undique ejusdem erat firmitatis, ſuperficie æquali ac lævi, & renitentia fungis familiari. Omnibus etiam perpenſis huic ab exordio adjunctis ſymptomatibus, morbum ſimplicem eſſe fungum totum circumvelantem articulum Medicus credebat, licet medicamenta in hoc morbo alias cum ſucceſſu adhibita hic incaſſum applicarentur. Simplicem appello: nam neque exoſtoſin neque aquæ vel ſaniei intus collectæ præſentiam obſervare licuit.

Sic rebus continuo in pejus ruentibus, menſe Januario anni 1779, dum lecto egredi amplius non poterat, præter expectationem, tumor, qui hactenus ipſum articulum tantum occupaverat, altius ad duarum manuum latitudinem adſcendens ipſum femur aggrediebatur. Neque nunc difficile erat tactu percipere, tumorem ex ipſo oſſe propullulare, &, licet in eadem. continuitate eſſet cum priore & eamdem firmitatem induiſſet, muſculos tamen ſubire. In ſuperiore vero ejus limine lente attenuato femur ipſum eo gradu duritiem ſuam depoſuerat oſſeam, ut, cum ægra in plumacio nec maſtruca recumbere vellet adeoque pulvinaribus & ſtragulis membrum ingenti ſua mole in apto ſitu continuo ſervare non poſſet, ſenſim præ tumoris ſuperpondio ad internum latus intorqueretur, ita ut condylus tandem internus atque malleolus inferiora ſpectarent & pes eſſet inverſus. Superior extremitas femoris illæſa erat, nec huic intortioni obediens, id quod eo facilius obſervari poterat, quod in ipſis integumentis intortio hæc plicam ad internum latus femoris formaverat profundam. Jam etiam ad minimum membri motum tantis vexabatur ægra doloribus, ut detortioni

Digitized by Google

ni huic obicem ponere non liceret. Cutis ob vehementiſſimam extenſionem denique nitebat, & venæ varicoſæ in ipſa maſſa quaſi inſculptæ tranſlucebant. Integumenta externa condylum internum obtegentia, pondere eumdem locum ſemper premente, erodebantur, ſubque illis condylus nudus, ſed eroſus & inæqualibus ſquamis exaſperatus, apparebat. Ab altera parte, quæ ad ſuperiora vergebat, ſedesque erat condyli interni, durities hujus latebat a tumore in tuberculum quoddam ſpongioſum ultimo tempore hic elevatum, quod calebat, rubebat & eruptionem quamdam minabatur. Maturantia varia, optante ſic ægra, huic tuberculo applicabantur, ſed immutabile manebat & elaſticum.

Jam denique Menſe April. crus, quod antea marcuit, oedemate corripiebatur, febrisque hectica cum pulſu celeri, parvo & intermittente ingruebat, quæ per viginti menſes ſub ineffabili cruciatu, ſumma tamen patientia tolerato, labefactatas ægræ vires adeo exhauriebat, ut tranquilla tandem & læta animam Deo remitteret. Circumferentia tumoris ſupra articulum ipſum, ubi tumor erat maximus, 30 æquabat pollices, infra patellam prope tibiam 17, & ſupra eam in femore 21.

Diſſectio tumoris a D. Præſide, qui ultimis menſibus ægram etiam inviſerat, fuit inſtituta, per quam memorabilia hæc detecta fuerunt.

1) Cute inciſa, ejus adhæſio mediante tela cellulari cum partibus ſubjacentibus ita deſtructa inveniebatur, ut ad perficiendam ſeparationem lenis tractio manibus inſtituta ſufficeret.

2) Jam faſcia lata offendebatur in ſuperiore tumoris parte. Erat autem valde tenuis & paullo inferius in cellularem abierat textum.

3) Su-

3) Superiora muſculorum recti anterioris, cruralis & vaſtorum extrema licet valde gracilia eſſent, naturalem tamen retinuerant formam; alter autem eorum finis totum obtegens tumorem, tenuem tantum muſcularem conſtituebat membranam, & tendo communis alias craſſiſſimus aponeuroſeos teneræ induerat tenuitatem. Tumoris ergo moles his velamentis obtegebatur, eo vero in loco, ubi vaſtus internus cum recto anteriore connectitur, prope condylum & patellam, tumoris portiuncula quædam thaleri argentei magnitudine viam ſibi aperuerat, ita ut hic tumor immediate ſub cute collocatus eſſet. Sub ulteriore etiam examine deprehendebatur, quod hæc ipſa portio tuberculum ultimis temporibus ex reliqua maſſa eminens formaſſet.

4) Omnibus jam diligenter ſolutis muſculis, tumor ipſe nudus apparebat, nullo communi velamento, ut in tumoribus vere cyſticis fit, incluſus. Tenuis tamen cellularis tela, quæ ubique in ipſa maſſa deſcendebat, ſuperficiem ejus æqualem reddere nitebatur. Fungo perfecte diſſimilis erat & ſteatomati ſimillimus. In confiniis ipſius oſſis & ex perioſteo originem traxiſſe inde patebat, quod muſculi, arteria poplitea cum vena ſua & nervorum trunci extra tumorem ad ejus ſuperficiem eſſent propulſi. Femur ipſum ad 2 manuum latitudinem in ſimilem maſſam erat commutatum, ut, diſciſſo tumore, ne canalis quidem veſtigia oſſis relicta eſſent. In ipſa maſſa vero undique ſquamæ oſſeæ irregulares variæque magnitudinis & duritiei glebæque cartilaginoſæ erant diſperſæ, immo & hinc inde filamenta cellularia vel potius frenula ligamentoſa firmitatem tumori conciliantia erant immixta. Pars quædam maſſæ interſtitium muſculorum, ut dixi, ita penetraverat, ut cuti eſſet maxime vicina; hæc vero condylum ita obtexerat, ut primo intuitu condylum ipſum ſolutum credidiſſes: Cum

ve-

Digitized by Google

vero maſſa caute diſcinderetur, apparuit epiphyſis, quæ condylos format, a diaphyſi ſejuncta & condylus externus plane illæſus.

Steatoma ipſum non ubique eamdem habebat firmitatem, ſuperius prope femur nempe mollius erat, & inferius ad genu, firmius vique reſiliendi præditum. Structura ipſa nusquam fibroſa, ſed fibrillæ cellulares undique ſine ullo ordine erant diſperſæ, ut fruſtula ubique ad lubitum abrumpi poſſent. Maſſa vario modo conſciſſa, cava intus nulla, nec veſtigia quædam puris vel ſaniei offerebat; fluidum vero illud, quo moles repleta erat, limpidum erat & gelatinoſum, nullum ſpargebat foetorem, nec argentea inſtrumenta, ut ichoroſa ex carioſis oſſibus profluens materia ſolet, corrodebat. Color maſſae erat ſubflavus vel dilute griſeus. In 3 vel 4 locis vas quoddam diſruptum effuſioni ſangvinis occaſionem dederat, quo in vicinia hujus effuſionis materia ſangvine nigro tincta mollitiem acquiſiviſſe pultis videbatur.

5) Patella & ligamentum ejus tibiæ adhærens atque ligamenta lateralia in ſteatomate etjam comprehenſa erant & poplitis cavum eadem ſubſtantia hic multo firmiore erat oppletum. Cum vero jam ipſum articulationis cavum aperiretur, id ipſum præter opinionem intactum inveniebatur, ita ut tam femoris, quam tibiæ & intermediæ cartilagines niterent, nec ulla carie eſſent correptæ, ligamenta alaria in ſtatu eſſent optimo, & nec pus nec aqua intus reperiretur. Ligamenta cruciata naturalem etjam firmitatem retinuerant; color vero nitidus in rubicundum, velut admixto copioſius ſangvine, erat commutatus.

6) Tibiæ extremum ſuperius undique, excepta ea parte, quæ cartilagine obducta eſt, inflatum apparebat, & tam fragile erat, ut digitis comminueretur, quo lim-

Digitized by Google

pidum atque fluidum oleum cellulas opplens exprimebatur.

7) Quod ad limites attinet, inter femur & ipſum tumorem os inæqvaliter diſſolverat ille, ita ut ab una parte oſſis longiores feſtucæ, ab altera breviores maſſæ eſſent infixæ, & ſuperficies oſſis ipſa plus minusve tumoris habitu gauderet. Minimo etjam motu adhæſio oſſis cum tumore tollebatur, ut os quaſi in medio ruptum appareret.

8) Arteria femoralis ſuperficialis, profundæ rami & vena poplitea ipſa in truncis ſuis valde incraſſatis & fere cartilagineis oſſicula habebat inſperſa, ita ut abſciſſis omnibus, lumen eorum rigide pateret & vix digitis comprimi poſſet. Commutatio vero hæc venæ ad truncum usque cruralem extendebatur.

Defunctæ corpus reliquum aperire non licebat, & ſupervacaneum quoque putabatur.

§. 10.

Huic deſcriptioni leviori caſum ab ill. Reimaro inter tot alios pulcherrimos nobiſcum communicatum adjungere non dubito, cum plures cum noſtro morbo communes, quam cum fungo characteres habeat. Genu valde tumidi vitium ab 8 retro menſibus acceſſerat, diſſecto vero poſt amputationem illo, gaſtrocnemei muſculi reſoluti & oſſa ipſa extra commiſſuræ capſam affecta inveniebantur, ita ut feſtucæ variæ, tenues fixæque atque particulæ oſſeæ in perioſteo mobiles, una cum oſſiculo libero nucem fere avellanam æquante in celluloſo textu poplitem replente, reperirentur. Cartilagines etjam in ſubſtantiam mollem, ſubmucoſam cœperant ſolvi, corroſæ vero non apparebant. Nihil quoque puris aderat, ſed tumor inodorus gelatinoſusque areolas textus celluloſi omnes impleverat. Sic

Digitized by Google

Sic etjam Chirurgus Jerem. Peirce *g*) deſcribit ægrotum, cui cum ſanitate frueretur optima, ex improviſo & ſine ulla manifeſta cauſſa ad condylum internum dextræ tibiæ indolens & pedetentim ſurſum tendens eoque genu ipſum corripiens tumor oboriebatur, quo amputatione ſe liberare coactus fuit. Cum vero tumor ipſe, qui 69 erat librarum, examinaretur, omnes adjacentes muſculi carneam ſuam & fibroſam a preſſione diuturna tumoris amiſiſſe texturam; muſculorum vero tunicæ incraſſatæ duræque & ligamenta ipſa cum ſubjacente tumore concreviſſe videbantur. Hujus vero ſubſtantia ipſa exterius ad dimidium pollicis cartilaginea erat, profundius vero oſſiculis innumeris varia duritie & magnitudine præditis, inque cruſtam oſſeam prope articulum abeuntibus formata. In medio tumoris cavum erat, quod menſuram humoris ſpiſſi, mucilaginoſi, inodori continebat, & in quo plura fragmenta oſſea ſtalactitides referentia circumnatabant. Extremitas ſuperior fibulæ etjam corrupta erat, ſed articulatio ipſa incolumis ſervata. Optaſſem, ut auctor obſervationis indolem reliquæ materiæ, ex qua tumor conſiſtebat, accuratius deſcripſiſſet; adhuc enim ambiguus hæreo, utrum tumor ad exoſtoſes, an vero ad oſteoſteatomata referri debeat.

Ex periosteo in loco ab articulo remotiore oſteoſteatomata quoque excreſcere ſequens cl. du Fouart *h*) obſervatio indicare videtur. Viro cuidam, qui dolore vehementiſſimo femoris inopinato correptus erat, prope trochanterem ſexto hebdomade tumor obortus eſt, qui ſenſim utrimque increſcens ita ſe extenderat, ut demum totum femur ob turgeſcentiam ſtupendam e loco moveri nequiret. Succubuit demum morbo æger febre lenta exhau-

g) Philoſ. Tranſact. N. 452. p. 56.
h) M. de Chir. T. I. p. 271.

hauſtus, cumque tumor 42 librarum ponderis cultri ope examinaretur, is in tres quaſi cyſtas, quarum una ſuperficiem totam anteriorem ſub femoris muſculis valde attenuatis occupabat, altera poſteriorem, tertia vero ſub gluteis per inciſuram iſchiaticam in pelvim penetrabat, inter ſe communicantes, diviſus apparebat. Commiſſura articuli intacta erat. Cum vero in primam originem mali inquireretur, diu latere non potuit, perioſteum ipſum in tantam excreviſſe molem. Nam ab una parte os, ſine ullo hujus membranæ velamento, & ab altera muſculi ab omni cum oſſe nexu ſeparati invenie-bantur. Materia tumoris erat æqualis, mollis, aliquantum elaſtica, ſteotomatoſa & quaſi lardacea, & in medio illius concretio oſſea friabilis, nullis laminis vel fibris contexta detegebatur. Os ipſum quoque eroſum & ſolutum videbatur. Examini chemico ſubſtantia ſubjecta ea criteria ſcrutatori offerebat, quæ lymphæ coagulabili propria ſunt; & licet maſſa lardo ſimilis eſſet, in ea tamen ejusve ſucco expreſſo veſtigium pingvedinis detegi non poterat.

Ejusdem ſane originis fuit Oſteoſteatoma femoris, quod cel. Scheuzer deſcribit *i*). Ægra rachitide correpta primum tumorem durum exoſtoſin ſimulantem in femore dextro ſenſit, qui adeo ſub muſculis inter enormes cruciatus accrevit, ut peripheriam haberet 34 circiter pollicum, licet uberrime ichorem ſeroſum acrem ultimis vitæ octo diebus fudiſſet. Solum ſteatoma ab oſſe negligenter reſciſſum 16 librarum ponderis erat & paſſim cartilaginoſum, immo oſſeum, cavitatibus hinc inde ſero acri repletis diſtinctum. Muſculi femoris tumorem obtegentes mirum in modum erant extenſi, ut membranæ induiſſent formam, immo patella e loco ſuo dimo-ta.

i) Bresl. Samlung. A. 1723. menſ. Mart. p. 317.

Digitized by Google

ta. Femur ipſum infra ſui medium extrorſum fuit incurvatum. Juxta vero curvaturæ ductum ex oſſe inflato exoſtoſis magna ſpongioſa excrevit 5 digitorum diametro, criſpaturis noduloſis in ſuperficie exaſperata.

Jam ad obſervationes cl. Herrman, *) quem ſupra laudavimus. Vegetus & ſanus vir poſt leviora incommoda feliciter diſcuſſa, ſubito dolore rheumatiſmum ſimulante, ſub inceſſu & noctu moleſtiſſimo in crure ſiniſtro ad ſuram correptus erat, quem fortiore motu tollere cogitabat. Eo vero conſilio non ſolum dolor in totum membrum diffundebatur, verum etjam in ingvine ipſo parva eminentia cum tenſione elevari cœperat. Dolores quoque vehementia ſingulari jam ad os ſacrum & ab illo ad alterum femur ſeſe extenderunt, quo illud marcuit. Venter vero ad 3 ulnarum ambitum conjuncta ſingulari duritie expanſus fuit, alterque tumor in ingvine cum renitentia increvit. Deceſſit demum æger, exhauſtis præ dolore & febre lenta 2 annorum ſpatio viribus. Abdomine cadaveris aperto, moles ingens ſtatim ſeſe luſtrantium oculis obtulit, quæ ita cavum ipſum impleverat, ut a proceſſu enſiformi ad oſſa pubis extenſa omnia fere viſcera ad dorſum projecta obtegeret. Subſtantia tumoris tactu duri & renitentis primo cultri inflictu ſteatomati ſimilis reperta fuit, ſed ſimul pluribus tuberculis cartilagineis referta. Profundius jam inciſa maſſa, ex improviſo 3 fere menſuræ liqvoris flavi & gelatinoſi effluxerunt, quo tamen tumoris volumen non collapſum, cum ipſa caro in vicinia latentis cavi ex magna parte fibris tendineis conſtaret. Ipſam denique tumoris originem perquirentes, eum cum tribus inferioribus vertebrarum lumborum & tribus ſpuriis oſſis ſacri mediante quadam

D 3 ſub-

*) De Oſteoſteatomate Lipſ. 1767.

ſubſtantia oſſea cohærere & ex ligamentis interſtitia oſſium occupantibus propullulaſſe obſervarunt. Oſſis ilei pars ſuperior ſoluta & 30 librarum ponderis tota maſſa fuit. Credit laudatus auctor, nimiam forte diſtenſionem corporum vertebrarum & laeſionem cartilaginis intervertebralis anſam formationi præbuiſſe primam, & agitationem corporis nimiam incremento ejus non potuiſſe non multum favere.

Altera ejusdem auctoris hiſtoria ſimilitudinem cum præcedente habet magnam. Cauſſa vero hic in aprico erat; nam cum vir quidam ciſtam ponderoſiſſimam loco movere tentaret, dolorem ſtatim inſignem circa os ſacrum ſenſit. Eo vero per annum integrum aucto, inter nates tumor durus exortus eſt, quem exoſtoſin eſſe omnes artis periti judicarunt & eo magis deleteriam crediderunt, quod ex ſede hac profunda exſcindi non poſſet, & remediis externis reſolutionem promoventibus ne augeretur malum, metus eſſet. Cum vero corpus ſenſim ad coxas curvaretur, & æger ærumnarum pertæſus auxilium agyrtarum quæritaret, hi epithematibus variis inflammatione concitata ſuppurationem promoverunt, qua ſanies & materia grumoſa copioſe emanavit, ſed ſimul tumor ipſe valde ſuccrevit. Tandem æger morbo conſumtus periit. Ventre aperto, ex pelvi eminebat uteri gravidi inſtar tumor toto ambitu durus renitensque, hic inde tamen mollior. Repleverat vero totam pelvim, abdominis cavum atque iſchiorum interſtitia, adeo ut in hoc ultimo loco idem tumor maſſam enormem ad nates inter femora pendentem, quam pro exoſtoſi habuerunt, formaſſet. Alius vero tumor partem poſteriorem oſſis ſacri obtegens inter ilia ita cum priore erat commixtus, ut ambo unam eamdemque maſſam conſtituerent. Diſſectione vero ulteriore patuit, cartilaginem ligamentoſam os

os ſacrum cum oſſe ileo ſiniſtro conjungentem in tantam molem excreviſſe, & maſſam viſcida, tenaci, partim ligamentoſa, partim cartilaginea ſubſtantia oſſeis ſtriis intermixta compoſitam fuiſſe. Succo vero ichoroſo in cavernulis quibusdam latente oſſa ilei, vertebræ & os ſacrum corroſa erant.

Jam vero, caſu, quem cl. Pott *k*) nobis reliquit, demonſtrabimus, in quocumque loco, ubi perioſteum vel ligamenta exſiſtunt, oſteoſteatomata generari, atque ſi latex mali abundat, plura in pluribus locis ſimul exſiſtere poſſe. Fuit quispiam, quem, exſtirpato prius in ſura atheromate, dolor iſchiadicus pertinaciſſimus nullis cedens remediis exagitabat, cujusque calamitates balneorum uſu adeo increſcebant, ut is jam per totum corpus cum quodam interno calore oberraret. Tum vero oculus ex orbita tumore quodam propellebatur, pluresque tumores ſubcutanei in capite, collo atque dorſo rapidiſſima incrementa capientes, aliique profundiores circa clunes & trochanterem enaſcebantur, coxæ articulatio obrigeſcebat, & in ingvine glandulæ turgeſcebant, eumdem ſenſum tactui offerentes, ac cetera tubercula. Tribus a primo morbi initio annis præterlapſis, optimis incaſſum adhibitis remediis, ſuccubuit æger, ejusque in cadavere varia memorabilia detecta fuere. In ſterno enim tumor apparebat ovi gallinacei magnitudine, durus & immobilis, exerioſteo propullulans & muſculis tectus. Subſtantia ejus erat ſebacea, cartilagineis & ſquamis oſſeis immixta. Os ipſum in eamdem materiam (quam puriformem apellat) fuit ſolutum. Portio quintæ & ſeptimæ coſtæ quædam ſimilem huic induerat indolem, & in cavitate thoracis 37 tales tumores vel cum coſtis vel vertebris connexi latebant. Circa celluloſum renis velamen-

k) Phil. Tranſact. N. 459. p. 622. An. 1741.

mentum, internam pelvis oſſeæ ſuperficiem & trochanterem tumores vel plane ſebacei vel oſſeis & cartilagineis fruſtulis interſperſi locum poſuerant. Tertiæ vertebræ corpus plane ſolutum & pelvis emollita erat. In fundo orbitæ meliceris oculum e loco ſuo deflexerat. Stupenda igitur depravatio erat humorum, quæ tot locis vim ſuam exſerere annisa fuit.

Ex perichondrio cartilaginis thyroideæ oſteoſteatoma excreviſſe cl. JACOB. DOUGLAS narrat *l*). Tumor duorum pugnorum fuit magnitudinis, tenſus, renitens & conſiſtentiæ uberis vaccæ coćti; cum vero diſcindere vellent maſſam, os cultro offenderunt, quod a materia circumjacente repurgatum coralli albi rudisque formam referebat.

Cl. KULMI *m*) obſervatione docemur, ex fraćtæ claviculæ negligentius traćtatæ fruſtulis oſteoſteatoma etjam exortum fuiſſe, ſuper pećtus ad umbilicum usque ſeſe extendens & ad pondus 5 librarum increſcens. Tumor ex oſſis maxima copia erat conflatus particulis, quarum eæ, quæ in baſi tumoris cum clavicula cohærebant, unum quaſi os ſolidum & duriſſimum formabant; aliæ autem ſuperius collocatæ, poroſæ, cartilagineis particulis intermixtæ & materia tenaci, pingvi, pultacea, flaveſcente ac rutilante, medullæ analoga circumdatæ erant.

Sed obſervationes plures doćtrinam de oſteoſteatomatum natura utcumque illuſtrantes eo lubentius omitto *n*), cum ea, quæ circa hoc tumoris genus proponere conſtitui, exemplis allatis comprobata eſſe putem. Ex his enim

l) Ph. Transaćt. V. 25. n. 305.
m) De exoſtoſ. ſteatomatode clav. 1732.
n) Vid. cl. Hundertmark diſſert. Oſteoſteatom. caſum rar. adumbrans & cl. Herrman l. c.

nim affatim colligitur, oſteoſteatomatum cauſſas indagatu eſſe difficillimas, immo quandoque plane non detegendas; nonnumquam vero eas rheumaticæ & eryſipelaceæ, vel etjam nobis adhuc incognitæ humorum labi aut læſioni articulorum eſſe adſcribendas; vidimus porro, ex perioſteo & ligamentis ea præcipue ſuam trahere originem, & formam, molem atque duritiem ad ſitum muſculorum, abundantiam telæ celluloſæ, oſſiculorum copiam, liquoris contenti ſpiſſitudinem aliasque circumſtantias conformare.

§. 11.

In Prognoſi hujus morbi ſtabilienda variis premitur medicus difficultatibus. Nam ſub initio ejus de ipſo ſtatu morbi anceps ferre cogitur judicium, & poſtea nil niſi triſtiſſimam ægroti ſortem vaticinari licet. Prima cum ſentit æger incommoda, vix cujusnam tenſio profunda atque dolor ſit naturæ, quamque commutationem tumor incipiens ſubire poſſit, indagare valemus. Leviores articulorum dolores, ſi nulla adſit manifeſta cauſſa, contemtui habentur, cum homines in ea opinione verſentur, omnes ejusmodi ægritudines ab arthritide vel rheumatiſmo difficilius levando initia ſua habere. Si vero a violentia quadam externa dolores ſuboriuntur, neque hi majorem injicere ſolent metum, quam tumores hos inſequentes, cum ſæpiſſime diſcutientibus & reſolventibus incommoda imminuantur & profligentur. Conſilia igitur medicorum ægri ſupervacanea credunt, &, ſi vel ea quærant, naturam mali in incunabulis latentis cum medicus ignoret, quam ſubire poſſit ſortem, tuto declarare non audebit, & neſcit plane, ſi malum tollitur, utrum ſuis remediis verum ſuſtulerit oſteoſteatomatis ſtamen, an vero levem congeſtionem ſeroſam a contuſione ortam diſcuſſerit. Ob varia porro noſtrum non unice concomitantia morbum, ſed a loco, ubi ſedent, dependentia ſymptomata, hic vero ex inopinato oborta, prognoſis tenebris in-

involvitur. Si ex. gr. tumor ex vertebrarum interſtitiis elevatur, morbus ſuis propriis ſæpe non declaratur ſignis, ſed tantum iis, quorum ratio a nervorum heic jacentium, vaſorum viſcerumque preſſione dependet. Digeſtione ſcilicet depravata, alvo obſtructa, doloribus colicis, tenſione hypochondriorum, urina ſuppreſſa, immo etjam paralyſi & ſtupore extremitatum inferiorum laborat æger, & nulla ſuſpicio tumoris exſiſtit, antequam foras jam expellitur. Genuum, item iſchiorum femorumque dolores & inflationes ab exoſtoſi fungove naſcituro derivamus, licet ſæpe ab oſteoſteatomate fuerint orti.

Cum vero demum tumor in tantam molem excrevit, ut tactu detegi poſſit & ab aliis tumoribus dignoſci, omnibus remediis reſiſtere ſolet, & ſpes omnis ſalutis plane ſufflaminatur. Benignioris exſpectationis aura nobis quidem objicitur, cum lentiſſimi incrementi tumor per plures menſes, ut fieri ſolet, in curſu ſuo reſtringitur doloresque mitigantur; ſed proh dolor, eam valde lubricam eſſe, ſæpius experimur. Etenim ſub iis, quas fovemus, blanditiis ex ſopore ſuo derepente reſuſcitatus tumor duplicatis quaſi viribus ſuum attingere faſtigium adnititur. Nil vero efficacius tumoris augmentum accelerare videtur, quam ex emollientium genere ad mitigandos dolores applicata epithemata, & membri motus violentiores. Antequam autem mors ipſa demum ingruit, partium adjacentium ſtructura non ſolum deſtruitur, verum etjam tota humorum maſſa tabo letifero inquinatur. Et ſi umquam in accelerata a morbi vehementia morte felicitas quædam ſit invenienda, certe eos in miſeria ſua feliciſſimos jure prædicamus, quorum tumor ad vitam tam neceſſaria premit viſcera, ut cito ærumnis ægri imponatur finis.

§. 12.

De Medela oſteoſteatomatis jam acturi, noſtram ſtatim in levando hoc periculoſiſſimo morbo tenuitatem dubi-

biumque omnium noſtrorum molimInum eventum agnoſcere cogimur. Niſi proxima morbi cauſſa exacte cognoſcatur, & remedia a primo morbi initio efficaciſſima adhibeantur, ſucceſſum conaminum noſtrorum fruſtra exſpectabimus. Nam id, quod in uno caſu & in prima morbi origine conducere poteſt, in alio & ſub tumoris velociore incremento nocebit potius, vel plane nullum præſtabit ſolatium.

Fac igitur, familiariſſimum & leviſſimum exemplum ut adferam, articulorum ligamenta violentia quadam externa vel vehementi tortione contuſa & dilacerata eſſe, vel perioſtei arctas cum oſſe cohæſiones quomodocumque deſtructas, & dolorem atque tenſionem circa articulum inde obortum imminentis mali adventum jam præſagire; artis tamen adminiculo metum funeſtiſſimi exitus compeſcere poteſt medicus. Primum enim omnia ea efficacisſime avertit, quæ disruptas & conquaſſatas jamque tenſas fibras porro irritare & laceſſere poſſunt, id quod partim ſumma corporis quiete & ſitu in lecto tranquillo, eoque quem æger convenientiſſimum ſentit, impetrare poteſt; partim vero iis remediis, quibus vaſcula ad extravaſati reſorptionem ſollicitantur, & affluxus fortior impeditur. Solidas deinde partes debilitatas atque tenſas conſtringi atque aptis pharmacis roborari curat. Venæſectiones, antiphlogiſtica, ſangvinis vehementiorem ad locum irritatum curſum infringentia, & diætam tenuem naturæ viribus vehementer hoc in caſu opitulari novimus; ſed aquæ frigidæ uſum, ut ſcilicet, ſi fieri poteſt, totum membrum aquæ immergatur vel a loco alto aqua deſiliat, vel pars linteis madidis ſæpiſſime reiterandis involvatur, efficaciſſimum in ligamentorum morbis eſſe, ex antiquorum & recentiorum doctiſſimorum virorum experientia didicimus. Priora ergo cum ſimplice hoc auxilio conjunctim adhiberi debent. Frigore enim fibræ

Digitized by Google

fortiſſime roborantur, vaſis diductis & debilitatis optimus ad reſorbendum fluidum ſtimulus additur, nervi ad minorem ſtimulum inſenſiles fiunt, dolor imminuitur & tenſio omnis ita diſpellitur, ut brevi totus tumor collabatur, membrumque priſtinum recuperet vigorem. Si vero a loco altiore aqua in partem cadit, frictio & attritus efficaciam remedii adauget, quare quoque hanc methodum ad diſcutiendos fungos impenſe laudant conſummatiſſimi Practici, & alii aquam calidam eadem ratione in hoc morbo non ſine levamine adhibent. Blandam fortioremve ope pannorum frictionem etjam conducere, compertum habemus, præcipue ſi, morbo nimis protracto, corticis peruviani & martialium interno uſu corpori robur addatur. Et hiſce adminiculis morbus imminens vel etjam jam ingruens ſæpe profligatus fuit.

Verum hæcce omnia irrito adhibita fuiſſe conatu, & tumoris dolorisque incremento nullos opponi cancellos potuiſſe, nonnumquam dolemus, cum a violentia externa prima exorta irritatio ſuum continuat effectum, vel etjam, quod adhuc pejus, ſi quædam in ſangvine occulta, vel jam a diuturna quiete prognata acredo ad hunc locum ſit propulſa. Summa igitur in eligendis aliis remediis novaque curandi methodo difficultate premitur medicus, cum ab una parte in ſimilibus morbis farragine commendatorum medicaminum obruatur, ab altera vero inertiam eorum vel effectus ambiguitatem in anteceſſum agnoſcere cogatur. Nonnulli in reſolutione tumoris, alii vero in derivatione & evacuatione ſucci ſtagnantis omnem ſuam ponere ſpem videntur.

Hi itaque herbis reſolventibus & diſcutientibus in aceto vinoque coctis, vel ſaturninis tumorem fovent, & emplaſtra adhibent reſolventia; cum vero morbus indole ſua & natura valde tumoribus cyſticis, fungis & exoſtoſibus ſpuriis affinis eſſe videatur; omnia reſolventia

in

in iis uſurpata hic etjam conducere opinor. Laudatur cel. Pottii ſpiritus arthriticus ab ill. Acrel ad liquanda ſteatomata; conducit in eodem morbo ejus ſpiritus reſolvens, ex ſpiritu ſalis ammoniaci, matricali & oleo ceræ confectus; commendant petroleum, balſamum peruvianum, emplaſtra gummoſa, quibus illud cl. Roux ex gum. ammon. & ſagapeno leni igne in aceto ſolutum, ſuperaddito pulvere antimonii, vel ea ex aſſa fœtida aliisque fœtentibus gummatis accenſeri poſſunt: extollunt fumigationes cinnabarinas cum ſtorace mixtas, & quæ ſunt reliqua. Mercurii demum inunctionibus, quas interno uſui metalli anteponit cl. Bell, fungos diſſipare adniſus eſt, easque ſpem ſuam aliquando non fefelliſſe annuit. Laudat porro merito cl. Girard remedium cl. Cavalier ex empl. Vigonis cum magna quantitate mercurii, ex ſale ammoniac. & gumm. ammon. ad reſolvendos tumores cyſticos. Quid igitur impedit, quo minus noſtrum tumorem ungvento mercuriali inungamus, ſi æger omnis ſcorbuticæ vel cancroſæ labis ſit immunis? Ut vero in genere tamen circumſpecte cum hiſce efficaciſſimis pharmacis agere debeamus, deploranda ſors, quam non nulli, quorum fungi mercurio fuerunt dispulſi, ſubierunt, jubet. Ill. Acrel & cel. Reimari experientia ſcimus, dolores in fungo obvios mercurio interdum auctos fuiſſe, vel, ſi dispulſus fuerit tumor, majore vehementia revertiſſe, vel denique alium & letiferum morbum acutum cum pulſu celeri, ſudoribus profuſiſſimis, tuſſi reſpirandique difficultate induxiſſe. Caſu etjam ſupra allato docemur, atheromate exciſo, ægrum rheumaticis ſtatim correptum fuiſſe doloribus farraginem malorum ſecum ferentibus; licet millenis illis ad tumores cyſticos profligandos commendatis remediis cummuniter cultri uſus, quem tamen in oſteoſteatomatibus ob declivem tumoris ſitum adhibere non poſſumus, ſit præferendus.

Si vero ad ſuperficiem cutis humores ſtagnantes deri-

rivare ſtudemus, tentandæ ſunt ſub initio morbi cucurbitulæ ſcarificatæ & veſicatoria. Cl. Bell eas in fungi a rheumatica labe orta ſpecie commendat. Applicari poſſunt cucurbitulæ, ut jubet, in ſuperiore & inferiore tumoris limine; id vero curare debet chirurgus, ut iis minimum 6 vel 8 unciæ exſugantur; immo, ſi vires ferunt, repeti poteſt hæc medicatio. Tumori vero ipſi, vel ad latera ejus non fauciata, veſicatorium imponatur, ulcusque eo excitatum ſtimulante quodam ungvento diu apertum ſervetur. Vulnuſculis vero a cucurbitulis demum conſolidatis, in horum locis nova applicentur, effectum ſperatum, quo plura ſunt, eo citius præſtitura. Si vero ab irritatione hac externa ſucceſſum ſperare licet, vix dubito, quin ab irritatione violentiore exoptatiorem eventum nobis polliceri poſſimus. Veterum enim plurium & recentiorum nonnullorum, præcipue vero Marci Severini & cel. Pouteau teſtimonio de mirando uſtionis effectu convincimur. Si enim candente ferro, vel accenſa, more Japonenſium, lanugine artemiſiæ, vel cono ex goſſypio confecto, ut jubet cel. Pouteau, vel denique cauſtico latiore cuti applicato, uratur locus affectus; ingens ſuppuratio, cruſta ablata, excitatur, qua fluida ſtagnantia ſimulque ipſam humorum acredinem evacuari poſſe, credibile videtur. In rheumatiſmo fixo mirandum effectum uſtionem præſtitiſſe novimus, & pro certo habeo, hanc ipſam in fungo ab eadem cauſſa dependente cum proſperrimo ſucceſſu adhibitam fuiſſe.

Sed neque hæc omnia in deſperato caſu ſtatum benigniorem reddere ſolent, adeo ut feliciſſimos nos prædicare poſſimus, ſi, rebus quotidie in pejus ruentibus, miſeriam ægri diæta tenui, edulcorante, levare, acredinem humorum remediis aptis mitigare, tumoris citatius incrementum repetitis laxantibus impedire & rupturam tumoris avertere valeamus.

5B:1354